

si vendat neglecta receptione pretii, immò potius habita fide de pretio tunc constituentem non obligat secundum multorum Doctorum sententiam, quàm latè examinat *Berò conf. 174. num. 10., & 14. vol. 1., Bellon. decis. Genue 202. num. 3., Joseph. Ludovic. decis. Perusin. 33. num. 7.,* post alios allegatos per *Borellum summa decis. tom. 1. tit. 66. num. 203.,* ubi *num. 204.,* alios affert contrarium tenentes.

- 21 Declara quintò, ut Procurator, qui factus est litis dominus, si omiserit appellare sicuti tenetur, *l. inuitus C. de procuratoribus, Borell. summa decis. tom. 1. tit. 66. nu. 330., & num. 333., & num. 334.,* ubi, quod esset summa negligentia, aut saltem omiserit domino denunciare sententiam, contra ipsum à Judice latam, *c. non iniuste de procurat.,* ipse procurator tenetur ad damna, & interesse; *Barbosa in d. c. non iniuste nu. 10.,* ita ut si Procurator non esset solvendo, & non posset reficere damna, & interesse, tunc daretur domino restitutio in integrum, *Borelli loco supra citato n. 335.;* idè si Procurator non appellavit in termino late sententiæ, & non sit solvendo, poterit ipse principalis appellare infra decem dies à die scientiæ, *Antonell. de temp. legali lib. 4. c. 23. num. 12., Pax Jordan. lib. 14. tit. 26. num. 611.*
- 22 Quod intellige si dolosè omiserit appellare, at si dolose non probaretur, tunc neque domino succurritur per viam restitutionis in integrum; *Crescent. decis. 7. num. 1. de Appellat.*
- 23 Limita primò, Regulam, quod Procurator negligens teneatur ad damna, & interesse, id habere locum si suscepit Procurationem, at quia à principio sibi liberum est non suscipere, si non suscipiat, tunc non tenetur, ad damna, & interesse, quia jura loquuntur de Procuratore, qui suscepit procurationem, *Bellon. in decis. Genue 9. num. 5. 6., & decis. 68. num. 5.* cum aliis allegatis per *Surd. decis. Mantue 304. num. 4., & 5., Borell. summa decis. lib.*

1. tit. 66. de Procuratoribus num. 153., ubi quod non dicitur, nec est Procurator, nisi postquam mandatum acceptaverit, & nu. 158.

- 24 Negligentiæ notam incurrit Procurator, si recuset Pauperibus inservire gratis, licet etiam esset aliquis Procurator constitutus à publico cum salario, qui certò tunc teneretur ex justitia, & negligendo peccaret contra Justitiam, at eo non obstante adhuc cæteri Procuratores tenentur ex misericordia, alias peccarent graviter, dicit *Scaccia de appellat. q. 15. num. 52.,* quod intellige, quando eo negligente patrocinari pauper grave damnum pateretur; quia ex charitate tenetur subvenire necessitatem patienti, tum quia esset abscondere talentum domini sui, extra verò necessitatem non sic tenetur, ut *post Salon ad D. Thom. 2. 2. q. 17. art. 1.* notavit idem *Scaccia sub eodem num. 52. Vers. Adverte tamen.*
- 25 Casus magis practicus est, quando Clientis deficit in solutione salarii, & Procurator videns labores suos sine mercede evanescere, negligit ea facere, quæ alias cognoscit facienda; undè aut causa protrahitur, aut adversa sententiâ finitur, an in hoc casu, negligentia Procuratoris damnabilis sit, & considerandum est, an Clientis ex negligentia Procuratoris grave prejuditium contra justitiam patiat, & tunc, Procurator negligens peccat graviter, quia debet Clientem admonere, & suam mercedem poterit ope judicis consequi, vel etiam Clienti notificare, ut alium procuratorem adeat; si verò Procurator, non audeat admonere Clientem, vel quia potentem, & nobilem, vel quia sibi mala prudenter impendentia timeret, tum fortè ejus negligentia non est culpabilis, cum Clientis sibi debeat imputare, dum sciat se teneri justam mercedem laboranti retribuere, & alioquin Procuratorem tale officium exercere propter lucrum, undè intrat, quod nemo tenetur gratis, aut propriis expensis inservire, & militare.

De Negligentia Regularium.

SUMMARI A.

- 1 **E**X Negligentia Regularium Religiones exciderunt à pristina Charitate, & perfectione, ut necessarium fuerit studere reformationi.
- 2 Grave malum est Religiosis negligere obedientiam.
- 3 Neque de sub secreto naturali commissorum potest Religiosus denegare Superiori præcipienti revelationem.
- 4 Sancti Francisci Borgæ dictum, quod Religiosi verè observantis vita spes esset Martirii.
- De neglectis petendam esse veniam in capitulo culparum.
- 5 Qualiter Negligentia in Regularibus sit peccatum mortale.
- 6 Negligere observantiam rituum Religionis, qualiter sit peccatum mortale, aut veniale.
- 7 Omittens deffere habitum Religionis qualiter peccet.
- 8 Negligere frequentiam Chori decreto Clement. VIII. graviter reprobatum tam in subditis, quam in Superioribus.
- 9 Negligentia Regularium in recitatione officii, tam secundum actum internum, quam externum, gravis est.
- 10 De Jure humano attentio interna non est sub præcepto, licet Fagnanus id existimet, est tamen sub præcepto Divino.
- 11 Thomas à Kempis reprehenditur à B. Virgine, eo quod neglexerat per aliquod tempus recitare quasdam orationes solitas recitare devotionis gratia.
- 12 Otiositas est à Religiosis eliminanda, alias causa multorum malorum.
- 13 Negligens est Religiosus omittens ea, ad quæ tenetur.
- 14 Negligentia Regularium in implendis missarum oneribus grave peccatum est, quod potissimum, vel Prælati eorum, vel Custodibus sacrarii imputatur.
- 15 Negligentia Religiosorum quasi sint de sua salute securi, & idè semper non querant proficere, graviter damnosa est.
- 16 Multam debent Religiosi adhibere diligentiam in cognitione sui.
- 17 Contra Negligentiam remedium efficax est timor Dei.
- 18 Grande damnum, & præjudicium affertur Religionibus, dum filios pigriores habentes, negligentiores offerunt Parentes Religionibus, ad quos non respicit Deus, sicuti non respexit ad munera Cain.
- 19 Negligentia Regularium tacentium, & consentientium in causis civilibus, se convenire coram Ordinario, dum ipsi habent proprium Judicem, ut est Legatus de latere, vel proprium Conservatorem habentem qualitates requisitas, quid operetur.
- 20 Regularium Superioribus negligentibus punire Religiosos delinquentes extra claustra, puniatio devolvit ad Ordinarium, & Conventus solvit Judicii expensas.
- 21 Si una Religio negligit uti suis privilegiis, non idè præjudicat aliis diligentibus.

ARTICULUS XXXVII.

De Negligentia Regularium.



Habitum, & tonsura modicum confert, sed mutatio morum, & integra Mortificatio passionum verum faciunt Religiosum; ad patiendum, & laborandum scias te vocatum, non ad otiosandum, & fabulandum, ita Monachos alloquitur *Thomas à Kempis in suo libello par-*

vo mole, *Virtute Maximo lib. 1. c. 17. de Monastica Vita;* Ubi ergo monentur, vocatos se fuisse ad religionem, non ad otiosandum, sed ad labores, monentur pariter Religiosi debere omnimodè negligentiam à claustris eliminare; dubitari enim non potest, quod ferè omnia, & maximè graviora mala, & incommoda, ex Regularium

rium negligentia in claustris enata, nutrita, & incredibili numero augmentata admirata sint secula, experientia enim magistra Instruimur, quod Religiosorum ordines à primævæ institutionis observantia deciderint, & à primævæ charitate, & fervore propter neglectam sollicitudinem paulatim Monachos relaxatos, postmodum ita deformatos, ut reformationis necessitas constanti prudentum Judicio in pluribus apparuerit; hinc est quod *Sacrosanta Trid. Synodus sess. 25. c. 1. de Regularibus* dicit, quod omnis cura, & diligentia adhibeatur à Superioribus, tam in capitulis generalibus, & provincialibus, quam in eorum visitationibus, quæ suis temporibus facere non prætermittant, ut ab illis (idest Votorum, & Constitutionum observantia) non recedatur, cum comperitum sit ab eis non posse, ea quæ ad substantiam Regularis Vitæ pertinent, relaxari, si enim illa, quæ bases sunt, fundamenta totius Regularis disciplinæ exactè non fuerint conservata, totum corrumpat ædificium necesse est.

2 Neglectæ obedientiæ primordialis defectus est Regularium, quod pessimam abusionem vocat, *Roderic. qq. Regularium tom. 4. tit. 4. c. 25. num. 13.*, Negligentia in obedientia potest esse, vel cum contemptu, vel sine contemptu. Primo modo est, quando Religiosus omittit obedire, ex eo quia rem imperatam, aut consilio datam inutilem, & futilem, & vanam reputat, sine contemptu, verò quando solum imperantis recusat voluntatem, & præceptum exequi, *Azorius p. 1. instit. lib. 12. cap. 12. Primo q.*

3 Ideò *D. Bonavent. in 4. sent. dist. 21. art. 2. q. 3.*, proponit quæsitum, si Religioso Viro commissa sit executio voluntatis testatoris, secreto ad aures tantum demandatæ, possit Religiosus ille à Superiore Jusus negligere obedientiam, & non patefacere sibi secreto commissa, maximè, si juraverit non revelare, & resolvit tantus doctor, quod culpabitur negligentia, si non obediat, & revelare recuset, quia Superiori interroganti tenetur, etiam sibi sub naturali secreto commissa patefacere, eo quia semper à secreto commisso, & à juramento excipiendum est Superioris præceptum, cui ex voto obtemperare tenetur,

alioquin juramentum esset vinculum iniquitatis; quod latius explicat, *Fagnan. in c. Tua nobis à num. 38. ad 46. de testam.*, quod maximè habet locum si non agatur ad penam, sed ad bonum, & paternum regimen, *Lezana summa p. 1. cap. 27. num. 10.*

4 Eo, quod etiam, & negligentia debeat à Claustris Regularium exulare, de *Sancto Francisco Borgia è Societate Jesu* consueta refertur assertio, quod Religiosi verè observantis Vita species esset Martirii, *lib. 4. ejusdem Vitæ c. 8.*, & de negligentis specialiter in *capitulo culparum à Religiosis* petendam esse veniam, præcepit *Concilium Aquisgranem, teste d. Hieronymo* per hæc verba; *Si quis negligenter quidquam fecerit, vel aliud quid excesserit in Refectorio, mox à Priore veniam petat, ad scripta per Jo. Petrum de Crescentiis in opere cui tit. est Præsidium Romanum lib. 1. sub nu. 145. folio mibi 73.*

5 Negligentiam in Regularibus absolute, esse peccatum mortale, senserunt aliqui suppresso nomine allegati per *Lezanam summa p. 1. c. 7. num. 23.*, ubi ipse addit id ad minus verissimum esse respectu illius Religiosi, qui nullo exercitio occupari velet, sed vitam otiosam duceret, nam iste peccaret, primò contra Justitiam Religionis; per Professionem enim in Religione quasi contrahit cum ea, ut ipsa ejus necessitatibus succurret, ipse verò in aliquo exercitio illi deserviet; secundo contra gratitudinem, cum regulariter Religiosi vivant ex eleemosinis secularium, quæ eo fine illis conceduntur, ut bonis operibus vacantes ipsos, illorum participes efficiant, quo sine defraudantur, si vivant otiosè.

6 Utrum Regularis negligens observantiam rituum, & ceremoniarum in suo ordine, seu Religione præscriptorum, peccet mortaliter, aut venialiter, discutit *Lezana summa p. 1. c. 8. num. 32.*, ubi quod eas non observare est violare præceptum obedientiæ, quæ violatio erit venialis, si unam, aut alteram, aut saltè paucas ceremonias negligat, præcisò contemptu, & voluntate non se conformandi ceremoniali; si verò negligentia sit notabilis, & magna, ut numquam studendo, neque inquirendo, neque addiscendo eas ceremonias, quia tunc deficit in re gravi, est vele ministerium suum cum erroribus, & defectibus notabilibus implere, tunc peccatū erit mortale.

7 Pec-

7 Peccat Regularis negligens, & omittens deferre Habitum suæ Religionis, si hoc temerè faciat, seu omittat; idest sine justa causa, ut est *tex. in c. Ut periculosa Ne Clerici, vel Monaci secul. in 6.*, quando nam dicatur temerè Habitum omittere, & quando incurrat excommunicationem, in *eo c. latam* explicat *Barbosa fufus ibidem, & Lezana summa p. 1. c. 9. num. 1.*, & *c. 13.*, ubi *num. 4.* notat differre dimissionem à spoliatione, quæ fit ad breve tempus, & ad aliquod commodum, non incurritur talis excommunicatio, neque peccatum, quoties non sit cum scandalo, aut ratione mali finis, & in hoc casu neque incurritur excommunicatio.

8 Inter alias negligentias Regularium, est omiffio frequentia Chori, quam non pauci variis prætextibus incurunt, ad quam negligentiam, & omiffionem emendandam emanavit *Decretum Clem. VIII. sub die 25. Junii 1599 tenoris videlicet (Nullus prætere omnino prætextu cujuscunque privilegii, vel superioritatis, etiam Generalatus à servitio Chori censeatur immunis, nisi pro tempore, quo quis in proprii officii munere actu fuerit occupatus, cum lectoribus autem, & prædicatoribus, Superiores is tantum diebus, quibus eos legere, aut prædicare contigerit dispensare possint, idem quoque valeat cum ægrotis, & studiorum causa legitime impeditis, in eos verò, qui negligentes, aut inobedientes fuerint salutaris penitentia Superiores animadvertant ad præscriptum regulæ, & constitutionum, alimenti etiam, si opus fuerit, subtractione)*, quod decretum si exactè observaretur morales virtutes in Religionibus efflorent, concordat *Clem. 1. de Celebrat. Missar.*

9 In recitatione autem horarum canonicarum, ad quam tenentur Regulares professi, etiam si non constituti in sacris, saltem ex laudabili, & antiquissima religionum consuetudine, si excipias Societatem Jesu, ad tradita per *Lezanam summa p. 1. cap. 12. nu. 3.*, criminarentur negligentia ex mentis divagatione, & distractione, dum officium recitent segnitè, habemus in *cap. dolentes de celebrat. Missar.*, ubi quod attentè, ac devotè sit officium recitandum; Et quia dictio attentè, ac devotè potest importare actum internum, & externum, ita negligentia potest contingere respectu utriusque; ita ut si sit notabilis, contin-

gere possit, quod præcepto, seu obligationi non satisfaciant, ad notata per *Barbosam in eodem c. dolentes num. 20.*, & *Fagnan. n. 19.*, & licet quoad actum internæ devotionis non cadat sub præcepto Ecclesiæ, quæ non judicat de occultis, cadit tamen sub præcepto Divino, quo tenemur non solum ore, sed & corde preces fundere; ne impropere Christus, *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me D. Thom. 1. 2. q. 91. artic. 4.*, certum est enim, quod multum delectatur Deus sacrificio laudis *psal. 49.*, si tamen sapienter fiat dum canit *psal. 46. psalito sapienter.*

10 Ex quo sequitur, quod cum præceptum recitandi officium sit Ecclesiasticum, & hoc non se extendat ad actus internos, omiffa interna devotione, adhuc satisfaciatur præcepto, nec incurrat penas, quæ fortè impositæ sint, ut beneficiatis, non recitantibus divinum officium, *Fagnan. in eodem cap. Dolentes num. 23.*, qui tamen à *num. 38.*, & *seqq.*, loquendo de actu interno attentionis conetur ostendere ab Ecclesia suo præcepto requiri, etiam attentionem internam à principio actualem, & in prosecutione saltem virtuales, quia Ecclesia requirit orationem, quæ Deo placeat.

11 In Vita Thomæ à Kempis legimus, quod Beatissima Virgo Maria in Visione nocturna eundem, acri reprehensione exproberit, eo quia per notabile tempus neglexerit recitare quasdam preces, quas ex devotione recitare solitus erat, & quidem per hæc verba (*Frustra amplexum petis sancti amoris hostis acerbe, qui exosa amicitia negligentia malo consule frætus debitam, atque solitam mihi pensionem flammantium precum non exolvit, siquidem ubi nunc sunt consuetæ preces tuæ, quo solitæ orationes auolarunt, ubi mihi suspiriis pia suffragia, non ne refrixit in te charitas, torpuit amor, pietas quondam habita vacillavit, & nunc quasi nihil peccatum sit, stas, & audaci fronte amplexum manes, qui argui magis meruisti, ubi, qui tam facile precem solvere neglexisti?*)

12 Regulares negligentes, & otiosi solent in multas malitias prolabi, juxtà quod præmonuit *Spiritus Sanctus proverb. c. 28.*, idèd deberent Regulares diligenter, vel studio, vel orationi, vel operibus charitatis, ut prædicationi operam dare, hinc Sanctus

Hiero-